



# Disputatio medica inauguralis de scorbuto

<https://hdl.handle.net/1874/342453>

16.

D I S P U T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S ,  
D E  
**S C O R B U T O ,**

*Q U A M ,*  
A U S P I C E D E O O P T . M A X .  
*Auctoritate Magnifici D . Rektoris ,*

**J O A N N I S G E O R G I I G R A E V I I**

Politices , Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii .

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici Consensu , Nobilissimæque  
Facultatis MEDICÆ Decreto*

**P R O G R A D U D O C T O R A T U S**

*Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis ,*

*Eruditorum examini subjicit*

**R I C H A R D H U N T L Y , A N G L U S .**

*A . D . 9 . J u l i i , horis locoque solitis .*



**T R A J E C T I ad R H E N U M ,**

**E x Officina F R A N C I S C I H A L M A , A c a d e m i æ  
T y p o g r a p h i , c l o I c x c .**

*Gravissimo Honoratissimoque VIRO,*

D. THOMÆ HUNTLY, Parenti suo optimo, omni amore filiali & officio, ad ultimum usque vitæ terminum à me suspicioendo, colendo.

*Ornatissimo, Speciatissimo, Reverendissimo,*

D. HENRICO BAGSHAW, S. S. Theolog. Doct. Ecclesiæ Cathedralis Dunelm. Præbendario, atque Houghtoniæ Rectori Dignissimo, Divini verbi Præconi facundissimo, Religionis Orthodoxæ propagatori strenuissimo, omni splendore humanitate, & eruditione conspicuo.

### N E C N O N

*Doctissimis & admodum venerandis,*

D. JOHANNI ALCOCK, A. M. Ecclesiæ Bellingham. Vicario vigilantissimo affini suo plurimum honorando.

D. GULIELMO STOBBART, Scholæ Keiperiensis moderatori Æquissimo, omni politioris literaturæ consummatissimo.

### U T E T

*Honoratissimo Dignissimo,*

D. ROBERTO SELBY, Medicinæ Practico fœlicissimo, Præceptorí suo olim benignissimo, amicoque singulari.

*Hancce exercitationem Academicam, in grati animi  
Symbolum, ea quâ par est, submissione*

D. D. D.

RICHARDUS HUNTLY.



## PROOE M I U M.



Nter quamplurimos hujus saeculi morbos, sub quibus miserrimè usque adhuc gemuerint mortales, vix quisquam equidem (ut nostra stat sententia) apparuit, qui majori ferociâ ac frequentiâ vim suam atque Tyrannidem exercuit, quam hicce de quo imprestantiarum Deo favente verba sumus facturi; tot enim Symptomatis, iisque haud parvi ducendis, stipatus prodit, ut monstri simile videatur, quod quispiam ab illo correptus, ex fancibus suis incolumis evaserit. Nunc prob dolor! supremam Palladis arcem immanitate quadam barbara ac inaudita obfiderat, & lacesit, alias vero artus, totius corporis stabilitamenta, tam horrendum in modum sapius labefactione quadam versatili pervadit, ac concurrit, adeo ut exinde debilitas summa, tumores, motus convulsivi, aliaque id genus symptomata oriuntur ac propullulant gravissima, atque propterea inter morbos atrocissimos pariter atque frequentissimo jure optimo annumerari potest. Unde magnoperè mihi mirandum venit, morbum hunc longè laicque graßantem, in hoc loco & regione omnes indiscriminatim perimentem, tam raro Studiorum ingenia exercuisse, nam (nisi male memini) inter complures Theses, quarum mihi videndi copia fuit, nulle hac de re duobus retrò annis in lucem emanarint; adeo ut si hujus naturam, impolita hac nostra dissertacione minus graphice depinxero, hoc tamen commodi forsan à me accrescat; ut fœliciora impostorum Scriptorum excitentur provocenturque ingenia, quæ hosti ingruenti imperium seu potius Tyrannidem suam magis ac magis indies proferenti, armis adaptioribus oviam eant & aggrediantur. Faxis D. O. M. ut he studiorum meorum primitia in tui nominis gloriam proximique salutem tandem aliquando desinant.

D I S P U T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S

D E

S C O R B U T O.

T H E S I S I.



Corbutus an Medicinæ Proceribus olim innocentia parum nos equidem movet ; quandoquidem nosmet Medicos non Historicos profitemur , & exemplorum excessu obruimur , tantum abest ut horum defectu laboraremus. Neque de nominis Etymologia admodum solliciti tenemur , dummodo ejus naturam explicemus , methodumque medendi ritè instituamus , restat proinde ut definitionem seu potius descriptionem hujus paucis absolvamus , atque ut nobis videtur , describi potest quod sit totius massa sanguineæ multiplex depravatio , a sale acido fixo plus minus acri ut plurimum oriunda , variis Symptomatis gingivarum sil. exesione , sanguinis fluxu uberiore , crurum imbecillitate , maculisque variegatis hinc inde per totum corpus erumpentibus stipata.

II. Morbi hujuscæ differentiæ jam proximè sunt explorandæ ; quandoquidem ad morbi medelam aggrediendam pariter atque prognosin ejus sc̄iliciter instituendam , vim summam hæc disquisitio habet ; ratione autem ipsius effectuum , Scorbutum in calidum , & frigidum , malignum , & contagiosum , durationis , recentem , & inveteratum , accessionis , brumalem , & æstivum generationis hæreditarium , & adventitium dispertiamur ; plurimæ aliae apud Authores differentiæ occurunt , sed cum ad artem medicam parum aut nihil spectant , iis omnibus indagandis immorari haud operæ erit præmium.

III. Symptomata hunc morbum concomitantia tot & tanta revera existunt , ut si singula recensere permag , dies me citius quam oratio desiceret , atque adeo mirandum non erit modo aliquot à me consultò fuisse prætermissa . In capite exurgunt dolores pungentes , lancinantes acutissimi pariter atque gravissimi , tremores , vertigo , cephalæa , & Cæphalalgia modò vigilæ , modò somnolentia omniumque sensum hebetudo tanta ,

tanta, ut ad pristinos labores obeundos omnino inhabiles fiant; & ut paulo majora canamus, temporis tarctu paralyses, Convulsiones, Epilepsiae, Apoplexiæ, Lethargi & quotquot sub morborum soporosorum classe comprehendi solent. In ore haud levia sui indicia manent impressa, ut gingivarum exæstio cum earum tumore, sanguinisque faciliore & uberiore effluxu, sapor foedus & ingratus, copiosior & frequentior salivæ excretio, anhelitus scotor, dentes putridi & vacillantes excruciatus, que exquisitissimos perpessi. Sub pectoris domicilio respiratio difficultis, Asthma, Orthopnoea, præcordiorum anxietas summa, ut animi deliquium sapientiæ patiuntur ægri, tusses siccæ & Convulsivæ, Cordis palpitatio, & plura alia quam quæ comprehendere verbis; in promptu mihi sit. Ventriculi debilitas, ructus acidi & nidorosi, nausea, & vomitus, à corporis refectione gravemen, & omnia concoctionis leæ & depravata signa perspicacissima; interdum vero fames ab humoris acrimoniam superius ventriculi orificium irritantis, usque adeo intenditur adaugescit, que, ut exinde *πονία πυρετός* cum *κυρδιάλγεια* toleratu difficultima proveniunt. In Abdomine Colica & passio illiaca, Borborogmoi, Tenesmus, & Dysenteria; urina Protæi, adinstar, vix aut ne vix sub eadem specie apparet, siquidem nunc crassior & rubicundior, nunc tenuis & coloris fermè expers, alias turbida fabulumque rubrnm ad maculæ latera fundumque præcipitans. In corporis superficie maculæ variegatæ, summeque pruriens & in ulceræ subinde vergentes sese conspiciendas præbent, tandem verò artuum debilitas, lassitudo ossifraga, circa peritonæon dolores intensissimi noctu plerumque ingratfestentes, motus impotentia, Arthritides vagæ Scorbutarum nomine insignitæ, virium languor, Cachexia cum multis aliis adeo ut in Scorbuto scil. graviori (nam omnia illa Symptoma singulis Scorbutiris non occurruunt in his enim pauciora in aliis plura) affirmare ausim nec immerito, nullam totius corporis partem reperiri, neque functionem observari posse, quin ab illo, labem aliquam haud aspernandam contraxisse videatur.

IV. His præmissis luculentius se prodit morbi subjectum; & profecto cuius obvium erit Concipere, ubi præsertim sedem affigit, modo ad effectus ab hoc malo oriundos cautæ attendatur, qui a nullo alio fonte exhausti queant, quam à massa sanguinea, quicquid regerant Sennertus aliquæ ab illo tempore Medici Celeberrimi; utpote qui noxam omnem visceribus, & imprimis Lieni aut obstructo, aut ejusdem fermento depravato imputandam, mordicus contendunt. Quod (si tantorum pace virorum li-

berius loqui liceat) veritati adeo dissentaneum est, ut nihil in rerum naturā excogitari, aut dici queat, quod ab illa magis abhorreat; Nam quoad prius, nimirum obstructionem, antopsia contrarium planè evincit, quandoquidem corpora defunctorum ab hoc morbo cultro anatomico exposita, viscera præsertim autem lienem intactum atque inviolatum ostenderint: quanquam inficias non eo quin aliter subinde eveniat (à particulis salino-acidis lympha viscosiore involutis, & circa lienis substantiam spongiosam stagnantibus) nihilominus tamen hoc ad morbi effectum potius, quam ad causam primariam esse referendum, indubitate constat; haud secus ac si in Hydrope non viscera, sed serum potius à debito tenore devians, culpanda veniunt; quod ad posterius postulatum est audax, istiusmodi fermentum acidum in liene reponi, à quo sanguis cæterique humores eum perluentes mutationem aliquam subeant, cum experimenta omnia ad hanc Hypothesin stabiendum excogitata, tentantium votis minimè responderint: ac insuper Clariss. Bohny examen luculentissimè ostendit rem longe aliter habere, utpote qui lienis frustulum lacti incohererit nulla subsequente ejusdem coagulatione, quod necessariò fieri oportebat modò acidi alicujus vestigia minima huic inessent.

V. Stet itaque immotum atque extra omnem dubitationis aleam positum, massam sanguineam (illæcse aut labefactæ sanitatis fontem & scaturiginem uberrimam) hujus affectus subjectum primarium esse, ut signa ejus pathognomica affatim testantur, eamque non modo simpliciter, sed secundum omnes sui partes constituentes affectam, contaminatam, & depravatam esse; unde haud abs re fore videatur, naturam ejus partesque componentes accuratius atque vicinius contemplari, quoniam secundum illud axioma philosophicum, contraria juxta se posita melius eluescunt, veruntamen cum hoc pensum ab altero mihi amicissimo eruditè admotum absolutum nuperrimè viderim, supersedebo, hac sola animadversione habitâ, licet quoad sensum liquor sit homogeneus & à natura constitutus, benignus admodum & mitis, particulisque Oleosis abundè refertus; veruntamen sub his particulæ omnes quæ vim agendi possident, amaræ scl. & Salsæ, acidæ & acerbæ, cum innumeris aliis reconditæ jacent, uti optimè animadvertisit Divus Senex; quæ præ copia & viribus suis variis facultatibus sunt præditæ, & hæ quidem mixtione, & mutua inter se contemperatione neque cernantur, neque molestia hominem afficiunt, at ubi quævis harum secretæ fuerint, & per se extiterint, tum conspicuæ fiunt, & mortales variis discruciant laboribus, quo nihil re-

ctius,

ctius, elegantius nihil, & ad rem nostram illustrandam aptius afferri potest. Quamprimum enim Sales isti acidi & cum tempore quam maximè acres dominium rapiunt, & in actum deducuntur, illico erumpit hic morbus, cuius causa formalis in Salium illorum copia residet at nidulatur, & quibus luxuriantibus tota hujus purpurei torrentis ~~europaeæ~~ subvertitur & divisa perit, uti liquet ex seri fluore, per crebras molestasque expunctiones, sudores noctu plerumque insensissimos, Hydrops in morte terminantes, sanguinisque coagulationes & id genus plura alia. Vos tamen hoc monitos velim, quod Sal hicce præcipue peccans pro acido habendus est, qui cum tempore variam indolem acrem scl. austeraam, acerbam, vitriolicam, aluminosam & sic deinceps induit unde huic morbo tot & tanta phænomena discrepantia. Quando enim Sal acidus cæteris supereminet, sanguinis coagulationem, grumofitatem cum nigredine summa conjunctam parit; quando vero acris evadit partes sanguinis oleosas, fibrosas & ramosas disiectit, seri fluorem, gingivarum exisionem, gangrenas &c. accersit, cum vitriolicus, austerus aluminosus alvi stipationem, raucedines, & hujus farinæ symptomata alia inducit; & ni longum foret cætera symptomata, ab eodem quod ajunt ovo prognata, enodare jubarerat.

VI. Causa procatarctia & evidens proculdubio est ær, particulis hisce salino acidis plenissimè resertus & inquinatus, qui inter spirandum sanguini permistus, talem diathesin, qualem pro morbi causa formalis constituimus, parturit; unde pro causa efficiente proxima merito habendus est: fidem huic rei conciliant sequentia, quod in omnibus ferè locis mari adjacentibus cum primis grassatur, & tantum non endemius existit, quanquam male habentes (expertus loquor) circa victimus rationem summam adhibuerint cautelam; ad hæc, haud minoris momenti argumentum desumendum est, ab incolis variorum Angliae, Germaniae & Galliae locorum, à mari qnam longissime distitorum, & una cum Scorbuticis nostris eodem victimo ant haud multum absimili utentibus, nihilominus ab hoc morbo immunes quodammodo degentibus. Haud omnino tamen negandum est, quin mali moris cibi, cæteræqueres non naturales, suum quoque symbolum ad malum commune conferunt, quatenus subjectum ad mali hujuscem fomitem suscipiendum aptius reddunt & disponunt.

VII. Causæ remotæ penes ventriculum & intestina hospitant, quæ continuo chylum crudum pluribusque particulis acidis & acribus scatentem sanguini suppeditant, unde morbum protractiorem, pariter atque acerborem

## 8 D I S P U T A T I O M E D I C A

biorem reddi necesse habet; hujusmodi autem chylus non aliunde sobolescit, quam ex cibis dyspeptis falso-acidis & viscosis quibus delectantur quamplurimi Scorbutici, atque saliva qualicunque modo vitiata, & ab indole genuina descens, malorum Lernæ calculum adjicit; Quinetiam frequens vini acidi ingurgiratio, vita sedentaria otioque sepulta, nec non immodica librorum prælectio, studiorumque intempestivus usus (à quorum omnium usu seu potius abusu, sanguinis motus retardatur, ejus exinde depuratio minus commode promovetur, fermentumque ventriculi à Spiritibus animalibus aliò avocatis iners redditur) quamplurimum conferunt.

VIII. Mirabuntur forsitan nonnulli, me succi nervosi nullam mentionem fecisse, cum tot & tanta symptomata ab ejusdem labe à quibusdam derivari solent. Profectò nullam aliam ob causam, quam quod ejusdem succi existentiam, aut saltē naturam minus rectè capere possim, etiamsi argumenta omnia à Viris Clariss. eruditione nulli secundis ad hanc Hypothesin stabiliendam prolatā sedulò mecum pensitaverim; cum de facto nondum constat, talem, qualem volunt, dari succum, & insuper symptomata omnia ad hunc affectum spectantia, à sanguinis vitio quam lèvissimè deduci queant, ni disquisitionis hujus limites transilire vererer; at tempus me avocat, ut ad prognosia hujus protinus memet accingerem, quæ Æsculapii filii ad famam apud vulgus aucupandam primas usque adhuc obtinuit.

IX. Prognosis hujus morbi non usque adeo difficulter erui queat, nam Scorbutum recentem, & in corpus quoad cætera sanum incidentem facillimè extirpari posse contendo, modo Æger per omnia se se medico morigerum præbet, inveteratum autem factum, & malignitatem quandam præ se ferentem, uti Clariss. Schachtius meminit accidisse Lugduni Batavorum 1669. plurimum sovere periculi palam est, atque haud immetitò Medicorum opprobrium (uti affectio Hypochondriaca) dici posse, quicquid gloriabundi jactant Circulatores, iudemque blaterones pervicacissimi, nam fermenta omnia depravata restituere, totius sanguinis crassim contaminatam & tantum non eversam ad pristinum vigorem redigere, ac insuper rerum non naturalium, cum primis aëris contagio obsistere, hic labor, hoc opus. Et ut id quod verum est & multiplice experientia comprobatum, ingenuè fatear & agnoscam, quamplurimis morbis gravioribus, ægros ad Orcum præcipitantibus viam sternit, non obstante Medicorum peritissimorum opera atque industria summa.

X. Ut

# INAUGURALIS.

X. Ut morbi hujus curatio Deo fav. ritè instituatur, indicationes hæ sequentes ex ejusdem natura necessario profluunt, ut sordes primarum viarum protinus extrudantur elimineturque sursum deorsumve prout natura verget, aut Medico visum fuerit; dein salia illa muriatica sanguinis nexum dissolventia attemperentur, volatili farentur, postea fermenta omnia & præ cæteris ventriculi, corrigantur & restituantur, & de rebus non naturalibus summa adhibeatur cautela, ex quibus morbi origo & curatio quamplurimum pendent.

XI. Quoad primam indicationem omnino mihi necesse videtur recrementa omnia primis viis stabilientia elutriare, ne alterantium vires, priusquam sanguinis massam pertingere queant, castrentur, ac proinde modo nihil vetet (viz. Sanguinis sputum, virium imbecilias &c.) siquidem dyspesia, ructus acidi, Cardialgia, nauска, & materiae cuiusdem fetidae eructatio, uti Sæpius evenire solet) urgent, medicamentum emeticum ocyus propinandum, ex infusione Croci Metallorum, quæ omnibus aliis præferenda, quatenus operationem suam nunquam perficit, quin Sordes sursum deorsum efficaciter exterminare solet.

XII. Dein Cathartica mitiora ad hoc idem plurimum conferunt utpote quæ non modo ventriculi, verum etiam partium inferiarum sordes amendant, nec non ex arteriarum osculis in intestina dehiscentibus particulas quasdam effetas proritando elicunt; atque haud ab re foret Catharticis semper admiscere medicamenta antiscorbutica ad hunc modum concinnata.

24. Pil. Tartar. Quercit. Dj.

Calomelon. gr. x. Salis Coch. gr. vj.

Resin. Jalap. gr. iv. Olei Caryoph.

Gut. ii. cum sufficient. quant. Elix.

Propr. fiant pil. n. quinque manæ cum regimine exhibende & bis ter-  
ve, prout medico visum fuerit, repetenda.

Sin vero Apozema magis placeat sequens mihi cum primis arridet.

25. Herb. Fumar. Trefol. Aq. Absynt.

Roman. an. M. Rad. Lapath. acut. Raph.

Rustic. prep. an. 3ij. fol. Senn. 3. Turpeib.

Opt. Mechoach. an. 3j. Bacc. Junip. Scm. Nauſt. an. 3. Chalyb. &  
Tartar. in nodulo ligat. an. 3. Coq. lenti vase clauso in vini albi &  
Aq. Fumar. an. 3vj. ad tertia partis consumpt. Colat. depurata addendo,  
Syr. Cichor. cum Rhea 3. Spr. Carvi 3. Misc. fit Apozema cuius dimi-  
dam partem capiat mane, alteraque die interposita cum debito regimine.

10 D I S P U T A T I O M E D I C A

XIII. His præmissis via proximè patet ad magnam illam in hoc affectu indicationem, sanguinis Scl. depurationem, volatilisationemque adimplenplendam, per medicamenta anti-scorbuticorum nomine insignita, uti Cochl. Beccabung. Nausturt. utraquæ, Samb. Trefol. Aquat. Fumar. Rut. Murar. Hepat. Nobil. atque id genus herbas alias. Cum Rad. Lapat. acut. Rhab. Monach. & veri, Raph. rustic. Polypod. Querc. Cortic. Tamarisc. Cappar. Lign. Saffaph. Sars. Guaic. Sem. Nausturt. Cochl. Bacc. Junip. Flaved. Cortic. Aurant. Limon. Croc. Martis aper. Tart. Crud. & similibus; ex quibus ritè præparatis optima quæquæ feligantur & in usum quotidianum revocentur, Vina aut Cervisæ medicatæ, secundum Medici præscriptum usurpandæ, ad quemlibet haustum instillato sale quodam volatili cum Spiritu quodam Aromatico & Anti-Scorbutico, Oleo que appropriato, nobilitato; Quinetiam istiusmodi Sal. Volat. oleosum liquidis omnibus ingestis commode admisceatur, & præsertim inter edendum, quandoquidem salivam hoc in affectu summe vitiata corrigit & emendat, unde ventriculi fermentatio rectius procedit paragiturque.

XIV. Inter sales sanguinis edulcorationem promittentes, quam maxime commendantur sequentes, uti Sal. Absynth. Junip. Genist. Chalyb. Ocul. Cancr. Coral. rub. & alb. Margarit. præp. & eorum magisteria, cum sale volat. Tartar. Armoniac. Milleped. C. C. viper. Cran. Hum. Cochl. Beccab. &c.

XV. Denique ut fermenta depravata & tantum non adobruta, ad pri-  
flatum vigorem exuscitentur, cujuscunque generis Stomachicha benè au-  
diunt, ut Elix. Propr. Cum Alkali præp. Tetraphar. Clariss. D. Schacht,  
præceptoris mei multis nominibus meritò laudatissimi, Practicique  
Fœliciss. Rad. Gentian. Acori, Zedoar. Ari præp. atque Pulv. ejus  
Compos. cuius effectus experiri olim non pœnitibit, cum herbis Sto-  
mach. & amaricantibus quæ ex abundanti apud Authores praticos pas-  
sim occurunt: Sapienter enim mihi in mentem subiit Divinam erga nos-  
municientiam nos satis mirari non posse, quandoquidem morbis, ob  
flagitia nostra indies admissa, de nobis quam optimè meritis, nunquam  
mortales excruciantur, quin medicamina ad eorundem vim & impetum  
refrenandum retundendumque manu plenissima porrigit, uti liquido pa-  
ret in hoc affectu in quo messem uberrimam passim administrat elargi-  
turque.

XVI. Quod ad Chirurgiam attinet, parum emolumenti adferre solet;

nisi in morbi principio ubi V. S. ut plurimum prodesse solet, & cum recta ratione institui debet, quippe hoc pacto vasis utcunque depletis, sanguis per totum corpus celerius trajicitur, ejus depuratio exinde promovetur, stagnatio præcavetur, dolores pleuram obfidentes & respirationi laborem facessentes, pleuritidemque æmulantes sedantur averrancanturque Instituti nostri ratio, jam proximè exigit, ut de rebus non naturalibus verba faciamus, inter quas nobis se primo ac præcipue offert aër, cuius salubritatis conservandæ gratiâ, nostrâ quam maximè interest, itaque si fieri potest, is eligatur aër, à mari urbibusque fumosis, & terris odoribus quam remotissimus, nec non locis paludosis, nebulosis & similibus. E contra sit serenus, siccus & ad caliditatem potius quam frigidatem vergens: summa cum cura evitentur animi pathemata, uti dolor, mœstitia, sollicitudo, curæ ædaces &c. à quibus omnibus spiritus animales, qui à sanguine Scorbuto, tali, qualis par est, copiâ, olim non fuere segregati, hac ratione magis magisque deficiunt, flaccescuntque unde è vestigio accersitur, & quam plurimum intenditur melancholia, morbi hujus comes tantum non inseparabilis, ea propter hunc Sagaciss. Riverius inter morborum melancholicorum classem rectissime retulit; in locum vero eorum substituantur, hilaritas, lœtitia, & cœtera ejusdem generis, Modica quod attinet corporis exercitia, si in quovis morbo bene audiunt, uti extra omnem contraversiam res posita est, hic Cumprimis utilia, atque ad usum revocanda veniunt, uti curru-vectio æquitatio, lusus totum corpus exercentes, & hilaritatem commoventes; ex quorum usu sanguis stagnationi obnoxius, ad pristinum fluorem sollicitatur, corporis perspiratio, à qua plurimum pendet ejus depuratio promovetur, & Spiritus animales copiosiores exinde emergunt. Cibi sint eucepti & Euchymi, Salso-acidi, viscosi, fumoque indurati quam procul exulent; nec non dulcia quæquam sub quibus reconditum jacet acidum permocissimum; Potus sit cervisia optimè dœfœtata, herbisque anti-scorbuticis imprægnata, Vinum generosum corpore elanguiscente modicè porrigatur; atque in atrophia lactis usum quam plurimum laudo, cæterisque nihil proficientibus tempore opportuno aquas spandas repetat Ægrotus.

XVII. De Symptomatum curatione mihi proximè agendum foret quod catervatim sese oculis nostris objiciunt; verum hoc modo dissertationis nostræ metas transilirem, ac quin etiam prima fronte liquet, morbi hujus pariter atque aliorum causis sublati, cum tempore itidem eorum effectus auferri.

# C O R O L L A R I A.

I.

*O Mne animal ex ovo generari affero.*

II.

*Corporis nostri nutritionem per sanguinem fieri  
nego.*

III.

*In Hydrope Ascite cathartica fortiora, mitiori-  
bus esse praferenda statuo.*

IV.

*Salivationem in Scorbuto graviori pariter atque  
morbo Gallico Convenire affirmo.*

F I N I S.